



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IX. Quaestio oborta de die Paschae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

Dæmone, quo inspirabantur, agente, diversis temporibus laqueo vitam finierunt, exemplo ludæ proditoris. Sub hoc tempore etiam in urbe Roma regula Ecclesiasticæ traditionis vexatur per *Blastum & Florinum* schismaticos. Sed fuere tunc, per Dei gratiam, viri fidei & virtutis, qui tam prædictas hæreses, quam schismaticos destruxere, scribentes adversus hæc libros vel epistolas; ut, *Irenæus, Miltiades, Serapio, Apollonius, & Apollinaris*, & multi alii.

C A P. IX.

Questio oborta de die Paschæ.

Interea, præsidentibus Ecclesiæ egregiis sacerdotibus sub Principe Commodo, *Victore* apud Romam, *Demetrio* apud Alexandriam, *Serapione* apud Antiochiam, apud Cæsaream Palæstinæ *Theophilo*, & *Narciso* Hierosolymis, apud Ephesum vero *Polycrate*, quæstio non minima exoritur in provinciis Asie, veluti ex antiqua eorum observatione descendens, quod quarta decima Luna putarent omni tempore *Pascha* observandum, quando scilicet Iudæis præcipitur agnus immolari: velut necessario confirmantes, *in qua cunq; die septimanæ XIV Luna venisset, solvi debere jejunium*: cum talis consuetudo in aliis provinciis nunquam observata fuisset, vel ecclesiis. Ob quam causam conventus Episcoporum & Concilia convocantur, tam apud Cæsaream Palestinæ, quam apud *Romam*; altercantibus *Victore* Romano Pontifice, cæterisque Occi-

Occidentalibus Episcopis, contra Asianos, & dicentibus, quod non liceat aliquando, nisi in die Dominica, in qua Dominus surrexit, dominicum Paschæ celebrare mysterium, & in hac sola solvendum esse jejunium.

C A P. X.

Allegatio Asianorum de tempore Paschæ.

Affirmantibus econtra Asianis, & maxime Polycrate Ephesiorum Episcopo, qui inter eos primatum agere videbatur, quod ab illo intemerato die Paschæ, in quo, secundum Evangelium; etiam ipse Dominus suum Pascha celebravit, nihil licet addere aut subtrahere, ut ultra XIV. diem, vel infra, celebraretur: prætententibus etiam antiquum morem & majorū traditionem, & dicentibus, quia Philippus Evangelista, qui cum suis filiabus dormit in Asia, & Ioannes Apostolus, qui supra pectus Domini in Cœna recubuit, nec non & Polycarpus discipul⁹ ejus observaverunt. Tandem autem inspiratione divina plurimis in unum concordantibus, & sanioris fidei & scientiæ Episcopis, promulgatum est solenne decretum à Victore Romano Pontifice de Paschæ concordia: & subscriptibentibus venerabilibus Episcopis, Narciso Hierosolymitano, Theophilo Cæsariensi, Irenœ Lugdunensi, cum cæteris Episcopis Galliarum, & confirmantibus, quod in Dominica die Resurrectionis Christi mysterium Paschæ debeat omnimode celebrari.

G 3

HAY-